



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCII. ad annum CCCCXXX.

Parisiis, 1644

Rescriptvm Honorii Avgvsti Ad Bonifacivm Papam I. Statuit, vt si denuo
Romae episcopi ordinati fuerint duo, ambo ciuitate pellantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

RESCRIPTVM
HONORII AVGUSTI
AD BONIFACIVM PAPAM I.

Statuit, vt si denuo Romæ episcopi ordinati fuerint duo,
ambo ciuitate pellantur.

*Victor Honorius, inclitus triumphator, semper Augustus, sancto
ac venerabili Bonifacio papæ urbis æternæ.*

Dist. 97.
Victor Ho-
norius in-
clytus.

Dist. 79. Si
duo forte.

Scripta beatitudinis tuæ, debita reuerentia gratula-
tione suscepimus: quibus recensitis, egimus omnipo-
tentí Deo maximas gratias, quod sanctimoniam tuam
post longum incommodum optata redditam didicimus
sanitati. Et ideo * reuertentibus venerabilibus viris, gau-
dium nostrum sacrorum apicum attestatione signamus,
ac petimus, vti quotidianis orationibus apostolatus tuius
studium ac votum suum circa salutem atque imperium
nostrum dignetur impendere. Illud autem pietati nostræ
satis placitum esse cognosce, quod sanctimonia tua de ec-
clesiarum aut populi perturbatione sollicita est. Quæ, vt
ne aliqua ratione possit euenire, satis clementia nostra
credidit esse prouisum. Denique beatitudine tua prædi-
cante, id ad cunctorum clericorum notitiam volumus
peruenire, vt si quid forte religioni tuæ (quod non opta-
mus) humana forte contigerit, sciant omnes ab ambitio-
nibus esse cessandum. At si duo contra fas temeritate cer-
tantes fuerint ordinati, nullum ex his futurum penitus
facerdotem: sed illum solum in sede apostolica perman-
surum, quem ex numero clericorum, noua ordinatio-
ne diuinum iudicium & vniuersitatis consensus elegerit.
Vnde id obseruandum est, vt omnes tranquillam men-
tem & pacificos animos ex serenitatis nostræ admonitio-
ne custodiant, nec aliquid seditionis conspirationibus ten-
tare conentur, cum certum sit, nulli partium sua studia
profutura.

* reue-
rentibus